



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Seruatoris nostri discipulis. Cap. XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EUSEBII HISTORIAE

Cum Iosephus scriptor antiqua Hebræorum stirpe prognatus, ista de Ioanne Baptista, & seruatore nostro historiae suae monumentis complexus sit, quod quæso effugium reliquum est illis, qui falsos commentarios contra istos confinxerunt, quò minus tanquam impudentes perspiciuè coarguantur. Sed hæc hæctenus.

De Seruatoris nostri discipulis.

CAP. XII.

Nomen verò cuiusq; apostoli seruatoris fatis ex euāgeliorum testimonijs cuiq; planum sit: verum nullus septuaginta discipulorum catalogus vspiā refertur.

Dicitur tamen Barnabas vnus ex illis fuisse, cuius tum in libro, qui acta apostolorum inscribitur, persæpè mentio fit, tum à Paulo præterea in epistola scripta ad Galatas.

Gal. 2.

Ex quorum numero Sosthenem etiam fuisse ferunt, qui cum Paulo epistolam ad Corinthios scriptam misit. Sic namque scribitur apud Clementem in quinto libro

ἘΠΟΤΥΠΩΣΕΩΡ: in quo etiam Cepham nominat, de quo

item Paulus sic loquitur: quando venit Cephas Antiochiam, illi in faciem restiti, quia reprehensus erat. vnum

Gal. 2.

*Sosthenes
2ym spous
idē scribit
de cepha
simone*

ait ex septuaginta discipulis Petri apostoli gentilem extitisse. Matthiam porrò, qui erat pro Iuda proditore in

numero apostolorum ascriptus, & illum, qui pari suffragio ad apostolatam petendum dignus putabatur, vnū

ex septuaginta discipulis appellatum, constans fama est.

Num. 1.

Quinetiam Thaddæum, qui ex mandato Iesu seruatoris ad Abgarum curandum missus est, vnum ex illis fuisse

prædicant. De quo quidem historiam, quæ ad nos peruenit, non multò post exponam. Atque si placet obseruatione notare, plures quàm septuaginta discipulos seruatoris nostri extitisse, facilè repiries, etiam vel Pauli solum

vsus testimonio: qui affirmat illum, postquam à mortuis resurrexisset, apparuisse, primum Cephæ, deinde

1. Cor. 15.

duodecim, postea plusquam quingentis fratribus simul.

Ex quibus nonnullos mortem obiisse, plures adhuc in vita, quo tempore ista contexuit, mansisse asserit, Deinceps visum esse Iacobo. Hunc autem non modo vnum

ex his, qui in discipulorum numero habebantur, verum

etiam

etiam ex illis, qui sunt fratres domini nuncupati, extitisse, constat. Post verò quasi complures præter istos fuissent, qui ad duodecim similitudinem & exemplum nominabantur apostoli (qualem Paulum fuisse accepimus) adiungit: Deinde visus est omnibus apostolis. verum de his satis multa.

Historia de principe Edessenorum.

CAP. XIII.

Historia autem, quæ de Thaddæo traditur, ita se habet. Admiranda domini & seruatoris nostri Iesu Christi diuinitas propter incredibilem suam vim & potentiam in omnes homines crebris sermonibus peruagata, infinitos propè cum ex longinquis regionibus, tum ex ipsa Iudæa, ob spem ipsorum animis de curatione morborum & variarum cuiusq; generis perturbationum, quibus vexabantur iniectam, ad se attraxit. Atq; hac de causâ Abgarus rex, qui gentibus propè Euphratem incolentibus præstantissimè & summa cum laude præfuit, vbi esset graui morbo & insanabili illo quidè (quantum in hominum facultate & curandi vi situm erat) penè corpore labefactatus, celebreq; nomen Iesu, & diuinas eius virtutes constanter ab omnibus testatas accepisset, epistola ad eum per internuntium missa, supplex orauit, vt morbo, quo cruciabatur, penitus liberaretur. Iesus verò licet illi, ipsius auxilium tum imploranti, minimè obsequeretur, literas tamen separatim ad eum scriptas dare non grauatus est: in quibus se vnum ex suis discipulis, qui morbo mederetur, eò missurum, & salutem non ei solum, sed etiam suis omnibus præstaturum benignus promisit. Neque certè longo temporis spatio interposito, ista promissa erant illi cumulatè perfecta. Nam vbi seruator excitatus à mortuis, in cælum ascenderat, Thomas vnus ex duodecim apostolis, diuino quodam impulsu commotus, Thaddæum fratrem, qui erat in numerum septuaginta discipulorum Christi ascriptus, prædicatorem & euangelistam doctrinæ Christi ad Edessam vsque misit. Ac per ipsum seruatoris nostri promissa exitum suum sunt plenè consecuta.

E ij Quarum